

AUREL. Magnificendæ quidem sunt, si huic bilis ebullitioni, excandescentiæ, imo etiam corruptioni, obstructioni, & adustioni obuiam eant & obstant acidulæ. Sed perge de earum viribus.

THEOD. Pleræque acidulæ, ob diversorum mineralium commixtionem, diversas facultates obtinent; & tam dissolvente, abstergente & purgante; quam adstringente, corroborante & alterante vi sunt præditæ; in gradibus nimirum remissis, ut loquuntur Medici: Sicut ex Vegetabilibus Rhabarbarum, Myrobalani, Fumaria, Cichorium, & alia.

*Acidulae
diversas
quodam-
modo fa-
cultates
obtinent.*

AUREL. Sed quomodo purgant & abstergunt?

THEOD. Tartareos, adustos, viscidosque humores omnes; non modo ab usu vini, sed etiam ex aliis alimentis biliosis, & nitrosulphureis natos, partim per urinam, partim per sudorem placide educunt & expellunt; Oppilationes venularum vel tenuissimarum, a credine sua sensim aperiunt, flatuque discutiunt.

AUREL. Quomodo autem alterant? ut Medicorum verborum utar?

THEOD. Temperie sua, ad Auri naturam temperatissimam adspirante, effervescentium humorum impetum, & acrimoniam obtundunt, putredinemque ne serpat longius inhibent. Occultam etiam illam ac malignam qualitatem corrigunt, conficiunt, & abolent. Partium insuper substantiam ad temperiem æqualem seu naturalem reducunt, earumque Vigorẽ nativum mirifice excitant, & exacuunt. Balsamo denique suo vivifico humores corporis omnes; ipsamque membrorum substantiam, ad tempus certum à Deo constitutum, à corruptione ac putredine tuentur.

AUREL. Hastenus de viribus & facultatibus acidularum: nunc de vero ipsarum usu, observationes aliquas exopto & exopto.

THEOD. I. Usus huius aquæ ad ipsum acidulum commodissimus. Nam a cor ipsius gratissimus, qui ex halitu quodam aluminoso existit, à motu validiore, ab aere nebuloso ac nubilo, ac imprimis ab austrinis flatibus, & à calore intenso cito mutatur & corrumpitur.

*De usu ad
acidularum
observa-
tiones.*

II. Acidularum usui præmittenda sunt præparantia medicamentosa; catharrica nimirum miria, blanda ac benigna; themata, & similia. Hisce enim crassior illa illuvies non tantum excrementorum, sed etiam humorum peccantium, ac tenaciorum attenuanda, dissolvenda, & educenda; Meatus insuper earum comuniũ referendi, ut acidulæ per easdem facilius transeat.

Hæc